



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 18. Bezæ scriptum Episcopis injuriosum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

de eo concors haberetur doctrina. Postea a Ministris sciscitabatur, an forte, cum & Græcæ doctrinam rejiciant, Augustanæ Confessioni subscribere parati essent, quæ ita profitetur: *Fatemur, quod verum Christi Corpus, & Sanguis vere, realiter, & Sacramentaliter sit in Eucharistice Sacramento, ac ita offeratur, & recipiatur ab iis, qui illud recipiunt, & communicant.* Ut huic quæstioni responderent, Ministri Protestantes, bidui spatium petierunt, ac tandem die vigesima sexta ejusdem Mensis Septembris Beza scriptum recitabat, in quo suorum Sociorum vocationem vindicare conatus quæstionem sibi propositam in Episcopos retorquebat.

Sæcul. XVI.
A.C 1561.

§. XVIII.

Bezæ Scriptum Episcopis injuriosum.

„Eja, inquiebat Beza, imaginemur nobis Episcopum interrogantem nos, quo jure prædicemus, & Sacramenta administremus, nonne merito nos quoque eundem interrogare possumus, an ipse electus sit a Senioribus Ecclesiæ illius, cui deputatus est tanquam Episcopus? an ipse fuerit a populo postulatus, an præcesserit inquisitio in ejus vitam, & mores, atque doctrinam? si id affirmat: probe nosci-

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

„noscimus, id factum non fuisse: si
 „autem nobis objiciat, quod Ministri
 „non simus, quia manuum impositio-
 „nem non recipimus, eidem responde-
 „bimus, quod ipse non sit Episcopus,
 „quia in ejus institutione ommissa fue-
 „runt capita, ut vocant, substantialia,
 „quæ ab ipso jure divino præscribun-
 „tur, in quo tamen dispensatio nulla
 „est: ceterum si ex eodem hoc Episcopo
 „petimus, quantum pro hac imposi-
 „tione solverit, dicet quidem, quod
 „illam non coemerit, sed duntaxat ali-
 „quot aureorum millia expenderit.„
 Postmodum Beza ad articulum de Cæna
 transiens querebatur, quod ipsis articu-
 lus de Confessione Augustana fuerit
 propositus, jusque fuissent, eidem sub-
 scribere, cum tamen huc venissent, ut
 instruerentur, validisque rationibus con-
 vincerentur: demum Cardinalem Lo-
 tharingium interrogabat, an privato suo,
 vel totius confessus nomine hanc sub-
 scriptionem ipsis proponeret? si enim om-
 nes illam subscribi postularent, tunc etiam
 ipse Cardinalis, ejusque Socii non modo
 huic articulo, sed toti Augustanæ Con-
 fessionis subscribere deberent: Demum
 ingens utrinque erat altercatio, quin
 tamen quicquam decideretur: graviter
 vero querebatur Lotharingius Cardina-
 lis de Bezæ scripto, quod Præsulibus
 inju-

injuriosum, atque Regis auctoritati adversum erat: insuper rursus instabat, ut proposito subscriberent articulo, vicissim vero Beza petitionem suam, quam fecerat, urgebat: renuente autem Cardinale affirmabat, haud rationi consonum esse, ut ejusmodi subscriptio a suis peteretur.

Sæcul. XVI.
A C 1561.

§. XIX.

Petrus Martyr Italo sermone contra realem Præsentiam declamans.

Postquam Espencæus Doctor sermonem circa Cœnam inchoatum prosecutus erat, Petrus Martyr respondere conatus Italo idiomate circa Eucharistiam differere cœperat, vocemque *substantiæ*, qua Calvinus utebatur, quadam interpretatione temperans realem Præsentiam impugnabat, simulque circa totum hunc articulum sese verum Zwinglii discipulum prodebat, nihilominus tamen ad ea, quæ dixerat, parum intentæ erant ceterorum aures, eo quod omnium animi ob contumeliosum Bezæ sermonem sævere adhuc exasperati essent.

Beza l. 4.
pag. 820.

§. XX.

Laynesii Jesuitarum Generalis oratio in hoc colloquio.

Hist. Eccles. Tom. XLIV. N Inter-